



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Non est exheredandus, quicumque ante desponsationem est natus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISETI 1179. tem ipsius vxoris mater fuerit machinata : fraternitati tuae,
&c. quatenus rei veritatem inquiras, & si tibi constiterit,
quod viuente vxore, pater prædicti R. matre ipsius publi-
ce abusus fuisset, eum spurium, & ab hereditate repellen-
dum, præsertim si mater ipsius in mortem prioris vxoris
fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum
matrimonium contrahere non potuerunt.

C A P. II.

Idem venerabili fratri N. episcopo Bathoniensi.

Ex coniectione E. mulieris, nobis innotuit, quod R.
quondam vir suus, a quo, sicut dicitur, fuit sine iudicio ec-
clesiae separata, dotem suam sibi reddere contradicit. Quia
vero indecens est, & a iuris ordine alienum, ut prædicta
mulier dotem suam amittat, fraternitati tuae, *&c.* quate-
nus si eadem mulier a prædicto viro, iudicio ecclesiae, sepa-
rata fuerit, ipsum moneas & inducas, & si necesse fuerit,
appellatione remota, ecclesiastica distictione compellas,
ut prædictæ mulieri dotem suam restituat, aut secundum
terræ consuetudinem, in præsentia tua iustitiae plenitudi-
nem exhibeat.

C A P. III. *Idem.*

Conquestus est nobis H. lator præsentium, quod quam-
dam mulierem neptem R. accepit in vxorem, & præfatus
R. ipsam exheredare conatur, eo quod ante desponsatio-
nem matris suæ nata fuerit: cum postea, prout dicitur, pa-
ter præfatæ mulieris, matrem ipsius acceperit in vxorem.
Inde est quod fraternitati tuae, *&c.* quatenus rei verita-
te diligenter inquisita & cognita, nullius appellatione ob-
stante, legitimam esse iudicetis, inhibentes prædicto R. ex
nostra & vestra parte, ne sæpedictæ mulieri vel heredibus
suis hac occasione super hereditate sua molestiam inferat
vel grauamen. Si autem contra inhibitionem nostam ve-
nire præsumperit, sublato appellationis remedio, eccle-
siastica seueritate percellatis.

C A P. IV.

Idem Londoniensi & Wigorniensi episcopis.

Causam quæ inter R. & F. super eo quod mater iam
Pppp iij